METHODUS NOVA AC FACILIS

OMNIUM AEQUATIONUM ALGEBRAICARUM

RADICES NON SOLUM IPSAS

SED ETIAM QUASCUNQUE EARUM POTESTATES PER SERIES CONCINNAS EXPRIMENDI.

Auctore

L. EULERO.

Conventui exhibit. die 21 Septemb. 1778.

§. 1.

Primus, qui hoc argumentum satis felici successu tractavit, erat ingeniosissimus *Lambert* non ita pridem beate defunctus, qui hujusmodi series pro aequationibus trinomialibus methodo prorsus singulari per approximationes procedente elicuit. Verum ista methodus calculos maxime operosos ac taediosos requirebat, ita ut inventis aliquot terminis initialibus eundem calculum ulterius prosequi non potuerit, sed tantum ex egregio ordine, qui in prioribus terminis observabatur, per inductionem sequentes concludere fuerit coactus. Qnamobrem jam ex illo tempore plurimum studii collocavi in methodum directam et planiorem inquirendi, quae ad easdem series perduceret.